INTERROGATA IN LIBRVM

"Lingua Latina mortua est… Vivat lingua Latina!"

a Wilfried Stroh conscriptum

In scholis nostris dum tractantur Historia Philologiae Classicae, Ars edendi, instrumenta disciplinae nostrae multaque alia, rogamus ad haec interrogata respondeas, postquam librum professoris Stroh perlegeris:

1. De auctore: ubi munere professoris functus est auctor huius operis? Indica tres libros ab eo scriptos.
2. Quis Latine scripsit breve compendium huius libri? In quibus commentariis periodicis et quando?
3. Cur opinatur auctor idem non esse librum Latinum legere atque legere conversionem?
4. Quod est testimonium antiquissimum linguae Latinae? Quoto saeculo est inscriptum? Quid significat?
5. Quae linguae in initiis, lingua Latina iam imperante, 'superstites' fuerunt neque statim perierunt? Quibus de causis?
6. Quis fuit Archias? Quis eum laudavit in scriptis et qua de causa? Quid etiam tractatur in oratione 'pro Archia' nuncupata?
7. Quid significat "parcere subiectis et debellare superbos"? Quis scripsit hanc notissimam sententiam?
8. Quid significat "Graecia capta ferum victorem cepit et artes intulit agresti Latio"? Quis scripsit hanc notissimam sententiam?
9. Quid est "numerus Saturnius"?
10. Quod genus scribendi putat Quintilianus esse omnino Romanorum, non Graecorum?
11. Quibus rationibus et consiliis utebatur Cicero in orationibus suis?
12. Quomodo *latinizabat* Cicero verba Graeca? Praebe exempla.
13. Indica tres proprietates artis scribendi Vergilianae easque explana.
14. Vocis "Humanitatis" haud semel in hoc libro mentio fit. Quid hac voce significatur? Quae fuerunt "studia Humanitatis"?
15. Quoties lingua latina mortua est secundum Wilfried Stroh? Quomodo fit "immortalis"? Putasne tu mortuam esse linguam Latinam? Cur?
16. Quae sunt inscriptiones Pompeianae? Praebe duo exempla.
17. Qui erant *grammatici*? Praebe exempla.

18. Quae est *Vetus Latina*, quae *Vulgata*? Quid sibi vult sententia "Melius est reprehendant nos grammatici quam non intellegant populi"?
19. Fuitne lingua Latina *Medii*, quod dicitur, *Aevi* 'lingua viva'?
20. Quae est "latinitas culinaria"?
21. Narra quis fuerit Melanchthon.
22. Quando lingua Latina desiit esse lingua communis doctae Europae? Tres indica causas.
23. Quod est discrimen, quod ad studium linguae Latinae attinet, inter Carolum illum Marx et discipulum hodiernum?
24. Quibus linguis utebantur Wolf, Lachmann et Mommsen, cum opera sua scriberent?
25. Quoto anno oritur vox "Humanismus"? Quod est discrimen inter "Humanitatem" et "Humanismum"? Indica ligamen apud *YouTube*, in quo professor Stroh hoc discrimen coram auditoribus explanat.
26. Volebatne Wilamowitz philologus linguam Latinam tradi in lyceis?
27. Putatne professor Stroh studium linguae latinae esse posse 'scientificum'?
28. In calce huius opusculi loquitur professor Stroh de basiis Catulli. Quem ad finem affert hoc exemplum?
29. Estne discrimen inter *usum* et *praecepta*? Quis de his rebus disseruit?
30. Cur lingua Latina est discenda secundum professorem Stroh? Quae est causa secundum te?